



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Novatus Presbyter. 20. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

310 VITÆ SANCTORVM. 20.Iunii.
recepisset, nihil in humanis sibi tanti fore, quo vel
ad momentum temporis ab ejus servitio avocare-
tur. Acceptavit conditionem Christus, ei que de
cruce pollicitus est, obicem pietatis illius sele
amotum. Regressa domum filium exanimem
reperit; cum quo simul ac supervacuas curas tu-
mulavit, opes quoque, & cætera malorum irrita-
menta sine gemitu abdicavit, omnia vicissim san-
cti amoris insignia assumpsit: vestem setis horri-
dam cinctu ferreo corpori astrinxit; flagro ferreo
concisum corpus nuda humus exceperit: pulvilli
vicem truncus fuit: stipe ferè vixit, aut mercedu-
lis sui laboris. Quò quisque à morbis deformior
fuit, eò impensiū MECHELINÆ charitate subleva-
batur: satisque constat exesum elephantiasi ejus
osculis persanatum, quibus singula ægri ulcera li-
baverat. Ad cælum an. M. CCC. LVI. abiit. Fla-
grum ejus, cilicium, zonaque ferrea in Virginis
Salutatae templo asservantur, sacræ militiae tyro-
nibus monstranda. His armis cælum expugnavit
femina. Sperabitis molliora viri? Ex Chron. Minor.

Sic propinquos sicut nos metipos odio habere præcipi-
mur; ut hos ad æternarapientes, eorumq; carnalem
gratiam, cùm præpedit, postponentes, discamus, tempera-
ta eos discretionis arte, & convenienter diligere, & sa-
lubriter odio habere. S. Greg. 7. Mor. c. 14.

S. NOVATUS PRESBYTER.

20.Iunii.

NON jam Priamum aut Nioben Græcus Par-
nassus cantet in funera sua fœcundos. At nos
PVIDENTI Senatorii ordinis Romæ viro NOVA-
TVM & TIMOTHEVM filios geminos, totidemque
filias PVIDENTIANAM & PRAXEDEM gratulamur,
om-

21. Junii. VITÆ SANCTORVM. 317
omnes cum ipso patre cælo insertos. Et felicitatem hanc tam sancta familia ducibus Apostolorum DD. Petro & Paulo deberet, qui post hospitii tesseram PVIDENTEM sacris undis admoveverunt, & uti animum, ita animi socium corpus candidâ veste induerunt. Et servavit ille utramque ab omni labore eximiam, ædesque suas commune miseris hospitium fecit. Demortui virtutes hereditario jure sibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente, & arridente patre, idem jam fecerant. Ædes in templum versæ; patrimonium in pauores dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lustrata; latebræ afflictis Christianis datæ; firmati nutantes; roborati morientes; mortui terrâ tumulati. Sacra à Novato & TIMOTHEO fratre omnibus ministrata. Denique non jam in templum tantum, sed cælum migrasse domum tam sanctam dixisses. Certè cælo digna ab ipso cælo iudicata est nobilissima hæc familia; in quam utinam more veteri transire ignobiles nos terræ filii aliquando possimus! Ex Ferrar.

Voca Deum Patrem, & da operam, quatenus tibi sit celestis vita, divini mores, & forma Deitatis tota tua preferatur in formâ; quia celestis Pater respondentes generi suo filios muneribus ditat divinis; degenerantes ad pœnalem revocat servitutem. S. Chrysol. serm. 71.

S. HEMMINGUS EP. 21. Junii.

IN HEMMINGO Aboënsi Pont. à primis annis jam eæ morum geminæ emicuerunt, quæ infulae olim majestatem decerent; ita jam tum in puerio nihil puerile præter ætatem erat. A ludis omnibus alienus, totus studiis seriis jam tunc occupatur, & in his ipsis unius DEI gloriam quærebat,

sem-